

Leopoldus Comes de Pleien. Gundaccar de Styra. Waicardus Junior de Polhaim. Pilluxus de Pernstein. Otto Comes de Liebenau. Otto de Volckenstorff. Seifrid Comes de Moren. Henricus de Rechperg. Otto de Lengenbach. Hugo de Merckenstein. Hademar de Khuenring. Henricus de Berchtoldzдорff. Walchun de Lapice. (d)

Duringus de Polheim Weiccardi II. filius Parochi in Obestetten Anno 1140. munus obiit, de eo antiquissimus Codex traditionum Garstensium hæc memoriæ commendavit: *Plebanus de Abestetten Duringus nomine Frater Alberonis de Polhaim tradit Monasterio nostro cum manu Domini sui Ottocari Marchionis de Styra per manum Domini Perchtoldi Abbatis in audientia Leopoldi Marchionis Austriae quasdam vineas apud Thalem. Testes Adalbertus Comes de Pogen, de Ministerialibus Marchionis Austriae, Albero de Chunring, de Styrensibus autem Reinherus & Arnhalmus & Helmhardus, Deinhardus, Chunradus de Prundar. Otto & Frater ejus Gotscalcus de Stubenberg & Albero Frater ejusdem.* Ulricus II. de Polheim, Alberonis II. filius curiam suam in Walbern solenni fundatione Cœnobio Wilhering Austriae Superioris facta Anno 1220. DEO dicavit, & An: 1229. ad plures abiit sepultus in Monasterio Wilheringensi. (e) Reliquit autem Alberonem hoc nomine III. superstitem, qui Dynastiam Seussenburg in Patrimonio suo habuit, & in literis Monasterii Lambacensis de Annis 1222. & 1236. testis adducitur. Eum Fridericus Ultimus Austriae Dux Stirpis Babenbergensis Capitaneum Austriae supra Anasum constituit, & contra Belam Hungariae Regem Exercitus Ductorem habuit. Johannes Ennenkel antiquo & splendido genere apud Austrios Avorum recordatione extincto, natus, in Chronico suo Austriae quod librum Principum appellavit, (Fürstenbuch) ante quadringentos annos rythmis conscripto, ab Ottone Bavariae Duce An: 1237. Friderico Austriae Duci per caduceatorem bellum indictum fuisse, eumque responsum hisce versibus contentum in quibus Alberonis III. Polheimii virtus deprædicatur, retulisse, exponit:

Der Both auch von dannen reith /  
 Ain Knabe von Bayrn viel gemait.  
 Der kam mit einem Brieff gegang /  
 Da stundt auch das wieder Both an /

Der